e-codices

ubi decem plagiſ noviſſimiſ egyptioſ percuſſit. et pharaonem in mari rubro. cum ſuo exercitu ſubmerſit. Convertit
cor eorum .ſ. egyptiorum. id eſt converti permiſit ut odirent illoſ propter felicitatem illorum cum dixerit. venite et ſapienter
opprimamuſ eoſ. Et dolum .i. fraudem facerent in. vel contra ſervoſ eiuſ. Miſit moyſen ſervum ſuum .ſ. ad exercendum
plurima patientiae nobis oſtendendum. aaron quem elegit ipſum. Sufficerat enim dicere quem elegit. ſi addidit ipſum.
ut hoc quoque evidentiuſ explanaret. Quae forma locutioniſ in ſcripturiſ divinis crebertime reperitur.
ſicut eſt et aliud. in quo habitavit in ipſo. Poſuit in eiſ. Poſuit ſignificat collocavit in eiſ. moyſe ſcilicet et aa
ron. verba ſignorum et prodigiorum. quae ab eiſ praedicabantur dominum eſſe facturum. Signa ſunt. quaſi veſtigia aliqua
futurarum. ſive praeteritarum rerum. prodigia vero portenta admirabiles eventuſ. qui in rerum ordine antea non fuere.
Prodigium enim dictum eſt ab eo quod porro dicat. et prodigiorum .i. ſignorum .ſ. verba poſuit intra cham. Miſit tenebraſ et
obſcuravit .ſ. terram egypti. et non exacerbavit ſermoneſ ſuoſ. Cum iudei in egypto contra dominum locuti ſunt.
ipſe tamen non eoſ exacerbavit. .i. non iniurioſiſ abhominationibus reſpuit. Convertit aquaſ eorum in ſangui
nem. eo quod parvuloſ eorum in fluminiſ necaverant. ut quasi peritur eraut incinarulſ rubri fluenta. Et occidit piſ
ceſ eorum .ſ. egyptiorum. Piſceſ eorum occiſi ſunt. ne ſpeſ vivendi hominibus relicta videretur. quando illud eſt in
latereſ mortuum. quod nativo elemento probabatur enutritum. Edidit .i. genuit. protulit. vel ebullivit terra eorum ranaſ.
In ranis. poetarum carmina deſignantur. quae catholica regula diſcrepantes. regum corda terrenorum deceptionum
fabuliſ replent. In penetrabilibuſ id eſt in ſecretiſ. ut incubilibus regum ipſorum .ſ. pharaoniſ et principum eiuſ. Dixit .ſ.
deus. et venit coenomia .i. muſca omnimoda .i. communiſ. Coenomia eſt muſca canina. ceteriſ muſciſ morda
tior eſt. et importunitate ſua violentior. unde infeſti ac ſaeviſſimi animaliſ diriviatiuum nomen accepit. Sci
nifeſ genuſ eſt culicum fixiſ aculeiſ permoleſtum quaſ vulguſ conſuevit vocare hunhalaſ. In omnibus finibus eorum di
cit. ne quiſ egypti locuſ a pernicioſa clade ſemireretur exceptuſ. Poſuit .i. ſtatuit. ac decrevit pluviaſ eorum gran
dine. .i. in tempeſtate. ut divinis argueretur verberibuſ. Ignem vero comburentem flumina ſignificat. quae ſolent
excita tempeſtate deſcurre. Et percuſſit .ſ. illa grando vineaſ eorum. et ficulneaſ .i. ficuſ eorum egyptiorum. Et ne
tantum ficulneaſ putareſ aut vineaſ eſſe percuſſaſ. addidit. Et contrivit omne lignum .i. arboreſ finium eorum. In vi
neiſ et ficulneiſ ac reliquiſ ligniſ. omne humanum genuſ oſtendit plagiſ caeleſtibus verberatum. ob emenda
tioniſ cauſam. Dixit .ſ. deus et venit locuſta et brucuſ. Locuſta mater eſt bruci. Et comedit omne foenum terrae
eorum. et omnem fructum terrae ipſorum. In foeno fructuque reliquo terrae caſtigationem humanam docet. Datur enim
poteſtaſ adverſae parti ut noceat hominibus quae volunt agere penitentiam ſicut apocalipſiſ docet. Et percuſſit omne
primogenitum .ſ. et hominum et pecorum .i. principalia vitia. quae homineſ ceu primogenitoſ diligebant. Et eduxit eoſ
cum argento et auro. Hiſ plagiſ egypto .i. ut hoc ſaeculo. ut humana carne verberatuſ. educuntur animae in ar
gento confeſſioniſ lucidae. et auro puritatiſ ſplendidae ſublata omni infirmitate peccati. Primum itaque be
neficium fuit. ut populuſ longa ſervitute confectuſ. non egenuſ inaniſque diſcederet. Argentum et aurum iſrahe
liticum populum ab egyptiiſ praecepto domini diſcedentem legimuſ accepiſſe. ut non repentina ſubreptio. ſed longae
operationiſ merceſ eſſe videatur. Et non erat in tribubus eorum .i. iſrahelitarum infirmuſ. In nulla enim tribu
iſrahel. infirmuſ erat. neque pauper. Laetata eſt egyptuſ in profectione eorum .i. in exitu iſrahelitarum. Tunc laetati
ſunt qui remanſerunt ex egyptiiſ. cum exercitum pharaoniſ ſubmerſum et ſe liberatoſ intellexerunt. Con
ſtat enim diſcedente populo hebreorum. egyptum non fuiſſe laetatam. quando eum perſequendum iudicavit. Sed poſt
quam illi demerſi ſunt. qui ad inſequendoſ hebreoſ ire decreverant. tunc qui in egypto remanſerant omni
no laetati ſunt. quae ſimilia minime pertulerunt. Quia incubuit .i. cecidit timor eorum ſuper eoſ. Ipſe enim
timor fuit. ut in favore gentiſ hebraicae. ipſa quodam modo viderentur elementa pugnaſſe. Et intende quod per
figuram metonomiam quae latine tranſnominatio dicitur. egyptum .i. egyptioſ memorat fuiſſe laetatoſ. per id
enim quod continet. id quod continetur oſtenſum eſt. Expandit nubem in protectionem eorum .i. iſrahelitarum .ſ. ne urerentur ab
ardore ſoliſ. Et ignem ut luceret eiſ per nocte. Utraque munuſ contra temporiſ inclementiam probatur eſſe conceſſum.
Nubeſ data eſt. ut ſoliſ temperaret ardorem. Igniſ conceſſuſ eſt. ut tenebrarum potuiſſet auferre caliginem.

Licenza: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 215 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos
(http://www.e-codices.ch/it/csg/0312/215)